

Graminaeus, Theodor

Cometae ... anni praeteriti 1580 physica explicatio

Coloniae Agrippinae 1581

Res/2 Astr.p. 12

urn:nbn:de:bvb:12-bsb00029486-3

VD16 G 2798

R

12



Math. 154. 96

Alph. 12

12



012 2977




06-2977

Matheſis. *Astronomia. De Cometis* 796.

ab Hogen B. ein anderes Werk

2953.



COMETAE AN-
NI DOMINI 1580.

PHYSICA EXPLICATIO, ET

EIVSDEM CVM EO, QVI ANNO

&c. 77. apparuit, Analogica collatio, in gratiam &
obsequium Reuerendis. ac Illustris.

Principis ac Domini,
Domini

IOANNIS GVILIELMI DVCIS

IVLIACENSIS, CLIVENSIS, AC MONTEN-

sis, &c. Postulati ac Administratoris Episcopatus Monasteriensis, Do-

mini sui clementissimi, descripta, & eius Celsitud. ad initium

anni Domini 1581. per Theodorum Gramineum

Iuris Licentiatum, ac Philosophiae Docto-
rem, &c. exhibita.

PSAL. 18.

Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annun-
ciat firmamentum.

Coloniæ Agrippinæ,

ANNO M. D. LXXXI.

HF



QVID ASTROLOGICO IUDICIO SIT TRIBVENDVM.

PTOLEMAEVS:



VIR sapiens dominabitur Astris. Stellarum enim vis non causam necessario hominibus, anima scilicet adiicit, sed pericula ex temperamento corporis signat, nisi praecaveantur, non secus ac Lex ipsa demonstrat peccatum, & poenam peccati statuit, nisi peccatum praecaveamus: idcirco signa astra dicta. Quamobrem & fames, & pestes, & aeris motus corrupti, bella, si qua ex siccitate cerebri, & sanguinis calore ingruant, caueri possunt triplici remedio: Primò, precibus ad Deum fuis, ut pestis cessauit tempore Gregorij IX. Roma supplicationibus, aliq; alijs temporibus pericula terrae motuum, incendiorum, bellorum, &c. deinceps Secundò, optimo rationis prouidentia hominibus concessa usu: Tertiò, rerum naturalium praemunitio, ut in peste optimis Antidotis, aeris emendatione, optima cura, in summa non pericula ex coeli configuratione, non vitia, scelera, & impietates, sed ex nostra malitia, socordia, & contemptu Dei nascuntur. Itaque non necessitate stellas docuit Alcinous de Doct. Plato. cap. 11. & eximie Ptole. lib. 1. ope. quad. cap. 3. tract. 1. & Apollo demonum oraculum fassus quoque vitari posse, & effectus etiam Magicos, ut auctor Porphy. & Euseb. lib. 6. de praepar. Euang. cap. 3. Perstringit & damnat acerrime istos Genethliacos & diuinatores per Astra Deus per Esaiam cap. 47. sic ecclesia Catholica Priscillianistas hereticos, quod fatum acciperent ab influente necessitate Astri, sub quo nati essent, & similes illis damnat, ut notat D. August. 5. de ciuit. cap. 1. Gregor. in homil. de die Epiphaniae. Improbant diuinatricem Astrologiam Bardasanes Syrus, Euseb. lib. 6. praeparat. Euang. cap. 6. 7. 8. 9. Origen. super Genes. D. Basilius hexamer. homil. 6. August. de doct. Christ. Interdicitur inanis stellarum diuinitio & in electionibus obseruatio consilio Mart. Papae cap. non liceat, 26. q. 5. in decre. Gratia. Hieron. cap. 10. & 27. meminit Suydas in verbo *βλακύνειν*, fuisse tributum stultorum, quod Alexandria penderent Astrologi, eo quod a stultis consulerentur.

Probatur autem ab omnibus illa, quae terminos naturae non transgreditur: & à Philo. Iud. lib. de mundi opifi. & inclinationes solum, animorumq; motus, non necessitatem ac fatum, Astrologica heresi, inducit. Haresin enim Astrologicam, ut & apud D. Thom. & Scholast. videre est. non Astrologiam, eiusq; moderatum usum ex naturalibus & Physicis causis ortum, Petres condemnant, quem Ptolemaeus ac recentiores Astrologi tradiderunt.

Dum enim tribus modis coelum in hac inferiora agat, motu, lumine, & influentia, dubium non est pro diuersitate causarum etiam euentus varios a maioribus annotatos & obseruatos fuisse. Motu agit coelum, quia motus coeli est vita omnibus hic existentibus: nam motu coeli cessante, cessarent generationes & corruptiones in istis inferioribus: si caelum staret, cessaret omnis inferiorum motus, ut hinc Aristoteles obliquum circulum generationis & corruptionis auctorem appellet. Lumine, quia lumen coeleste parit in aere primas qualitates: ex temperamentis autem primarum qualitatuum gignuntur secundae, unde sequitur, corpora coelestia alterationes & mutationes, quae fiunt in aere & corporibus, lumine suo efficere: sic etiam Sol nobis adfert diem & noctem, ipse est auctor ceterorum luminum, mens mundi & temperatio, qui etiam nubila animi serenat. Influentia, quia mirabili modo in visceribus terra operatur minora atque metalla. Deinde & secundum diuersi coeli influentias & situs locorum, diuersis terra Regionibus diuersa generantur & nascuntur. Nam non ubique Piper & Aromata, neque etiam dulcia vina proueniunt: horum igitur virtute, motus, luminis, & influentiarum, materia eleuata, & ex terra visceribus educta, Cometa etiam exoritur, varios euentus & vicissitudines in terris operatur, quem Leopoldus in hunc modum definit: Cometa est vapor terrenus, habens grossas partes fortiter coniacentes, ascendentes per virtutem alicuius astri ad superiorem partem aëstus regnorum, & aliarum rerum magnarum alterationem significans in hoc mundo. Quid autem praesens loci ac motus sui, aliarumq; qualitatuum ratione designet, iam declarandum.



IE II. Octobris Anni 1580. horam circiter septimam vespertinam visus est Cometes in Arce Horstmariana Episcopatus Monasteriensis, cuius situs, vt platicè sine Instrumentis, ac Globo Astronomico, solo aspectu notari poterat, circa septimum aut octauum gradum Piscium, vltra Aequatorem, prope Aquarij Vrnæ, inter stellas ex Vrnæ aquæ effusæ conspiciebatur, & caudam subobscuram ac liuidam, de natura Saturni, in ortum æquinoctialem protendebat: Ignis & ardor Cometæ, similiter & caudæ color liuidus, de natura ipsius Saturni esse existimari poterat. Quòd autem materiæ raritas, præterquàm quòd candidi coloris Cometa animaduertetur, eius etiam inde effectus neque magnus, neque diuturnus iudicari poterat.

Ad motum Cometæ quod attinet, digressus est ab Vrnæ aquarij, per caput Pegasi equi alati, per Delphinum, inter Sagittam & Aquilam, eousque, quo ad diem 14. Nouembris, cum stellis primæ magnitudinis Lyræ Orphei, & Aquilæ. Triangulum equicrurum non multum ab equilatero differentem constitueret, & per rectam lineam inter Occasum & Septentrionem progressus, circa Natalitia Domini sub Ophiuchi seu Serpentarij imaginem apparere & conspici desijt; vt ratione primæ suæ sedis, à qua circa vndecimam Octobris conspiciebatur, à Piscibus per Aquarium & Capricornum in Sagittarium vsque progressus sit.



Cùm autem Cometā de natura Saturni esse, vt ex eius colore cōiijci poterat, & ab eo in propria domo herēte, probabile sit primum
pro

prodijſſe, experientur Saturni, & paſſim illi, qui Significatorem morbi, aut eorundem auctorem Saturnum habuerint in themate natalitio, ſcilicet: Liuidi, Macri, Tardi, Taciturni, Voraces, Solitarij, Laborioſi, Triftes, Auari, Auſteri, ſuæ ſententiæ Tenaces, grauia impedimenta, pericula, & iaſturas, morbos præterea capitis ac tibiarum potiſſimùm experientur, quod Saturnus in prima domo annuæ reuolutionis hæreat, & ſignum Aquarij infeſtet, & percurrat.


Regna etiam, quæ erunt ſub dominio Saturni, ſubibunt varia accidentia & pericula, ea videlicet, quæ extremas oras Septentrionis incolunt, veluti Muſcouiæ atq; Tartariæ, quæ iuxta doctrinam Ptolemæi horridum Saturni orbis angulum inhabitant.

Ad effectus verò Cometæ quod attinet, deſumuntur illi, à loco Cometæ, id quæ dupliciter: vel à ſigno, quod primo ſui conſpectu occupauit, vel etiam quod poſterius motu ſuo percurrit, tranſijt quæ: ſimiliter à formis ſeu figuris cœleſtibus, ſigno adhærentibus. A ſitu demùm Cometæ in figura annuæ reuolutionis, & potiſſimùm illunationis, quæ proximè Cometam præcedit, & ab habitudine Planetarum illius temporis ad Cometen, à motus etiam qualitate de effectibus Cometarum ſimiliter differitur.

Ad qualitatem itaque motus quod attinet: Cometæ, qui diſcurrunt ſecundum primi mobilis reuolutionem, hoc eſt, ab ortu per Meridiem in Occaſum, deſignant Ordinarij, ſeu legitimi Magiſtratus in ſubditos coercionem & auctoritatē: qui verò ab Occidente in Orientem, alio motu atque cœlum ipſum, ſecundum Planetarum anfractum feruntur, motus ac ſeditiones Reipublicæ, & Subditorum contra Magiſtratum rebellionem, hærefes, ac omnis generis ſchiſmata ſignificare perhibentur: quod & Hali ſuper Quadripartito Ptolemæi diligenter notauit, & exemplo Cometæ ſui ſæculi accuratiſſimè deſcripſit, quod & Cardanus ſequitur.

Cùm itaque Cometa præſens ſecundum motum primi mobilis percurrat, legitimam correctionem Magiſtratus in ſubditos ſignificabit. In ſigno autem humano, quod primum ortus ſit veluti in Aquarij forma, coercionem hanc per homines futuram eſſe.

Locus & figura, in quo viſus eſt Cometa, Pegaso alato equo, tanquam nota militiæ armorum ac belli congruente, motum ac coercionem per res martiales futuram deſignat, propter Delphinum




num etiam conturbationem marinam & expeditionem naualem
minitatur. Sagitta Iouis in subditos vibrata, donec tandem Co



meta in Ophiucho seu Serpentario duriter anguibus constricto,
afflicto & angustato, ipsa etiam significatione mœroris & sollicitu-
dinis conquiescat & deficiat.

Motus




Motus verò Cometæ, eiusque progressus, hostem peregrinum & extrinsecum notat, iuxta doctrinam Ptolemæi & Cardani super Quadripartito, & Trapezuntij super Centiloquio Ptolemæi, qui à parte Meridionali, quæ inter ortum & Meridiem respectu loci patientis seu afflicti existat, venturus sit, qualis est situs Hispaniæ, respectu Angliæ, qui propter quadratum Cometæ discurrentis per Capricornum, signum scilicet Arietis, affectionem cum eo habet: Italiæ respectu Belgij, & inferiorum partium, quæ propter Cancrum oppositum Cometæ locum, à Cometa afficiuntur & affliguntur: Poloniæ respectu Moscouiæ & Tartariæ magnæ, quæ loca Aquario à Cometa affecto, subsunt: Phrysiæ respectu Hollandiæ propter signum Cancri oppositum Capricorni, quod à Cometa affectum est. Sed quæ loca vel per latentem Sympathiam, aut etiâ Antipathiam notet Cometa, quæq; congruentiam aliquam cum eo habere videantur, posterius declarabimus.

Quid verò signa, per quæ discurrit Cometa, significant, aut qua qualitate Cometam inficiant, ex Guidone Bonato Foroliuensi Astrologo, similiter ex Iunctino Theologo & Astrologo insigni, videre

videre est, vt hoc modo de Cometae praesentis significatione certiùs aliquid proponi & exquiri possit.


Sunt autem signa, per quæ transijt Cometa, & in quibus apparitionis tempore conspectus est, *Pisces, Aquarius, Capricornus, & Sagittarius.*



Piscium crinita significat bellum maximum super affines, & interficient se inuicē, & inimicitiae erunt in alteris, & arreptio manus eorum ad obedientiam, decernitq; plebis calamitosum statum, & contētionēs fidei ac religionis, & antiquarum traditionum causa. Præterea oborientur in aere varia prodigia, detrimentum patietur res piscaria, periculosissima erit nauigatio, gliscet inter Reges & potentes, eorumque affines bellum maximum, & inter Ciues dissidium, cum rebellione vafrum. Si fuerit eius apparitio in parte Occidentali, quemadmodum praesens Cometa hic à Sole est ad 11. diem Octobris in 27. gra. Librae hærente, illo verò in Piscibus orto, erit tardiùs opus eius, & erunt multæ hominū angustiae & mortes in pluribus climatibus, & præcipuè in partibus Occidentalibus, & durabit annis tribus, & erunt aues multæ, & pisces, & inundationes fluminum, quòd belli semina dispergentur: Suspecta etiam erit multorum in carceres detrusio & captiuitas: & quòd Saturnus in propria domo sit, in prima domo annuæ reuolutionis malum exacerbabit, multosque capitis dolores, ac cerebri morbos excitabit varios.


Aqua,

Aquarij Cometa significat multitudinem praeliorum, & interfectiones, & cruciatus in eodem tempore, mortemque Regi aut Principi cuiusvis viro vel foeminae in parte Orientis, ut voluit multi Astrologi. Adhuc infirmitates populatim grassantes, bella longo




tempore duratura, & aeris obscuritatem, cum ventorum, tonitruum, fulgurum, & fulminum impetu. Significabit insuper praeter pestem luctuosam, multorum summorum virorum mortem & inopinatum obitum. Cum vero in partibus Occidentalibus sit eius apparitio, erit tardius opus eius, & varios rumores denotabit, ex quibus, praeterquam quod belli semina dispergentur, suspecta etiam erit in carceres multorum detrusio & captiuitas.

Capricorni crinita significat fornicationem in temporibus illis, bella inter Reges & Nobiles, multorum calamitates, & infortunia, rixas, viarum obfessiones, venenum, Regum & Principum mortem, religiosorum contemptum, piorum persecutiones, cum grandinis, niuis, & hyemis asperitate, ex quibus frugum dubius relinquetur successus. Addunt multi famem, pestem, & iras



& iras populares. Si autem fuerit in Occidente, vt præfens Cometa, erit cæditiùs opus eius, & figuificabit anni herbofitatem, & aquarum abundantiam.



Sagittarij crinita significat depressionem hominum nobilium, sapientum, scribarum, atque Doctorum Legum, Consulum & simi,

& similium. Quòd hic Cometa è domo Iouis, Piscibus scilicet egres-
sus sit, ac in eiusdem Iouis sede, Sagittario scilicet, Ioue ibidem præ-
sente conquiescat, non inconuenienter Magistratui tribuitur: vt
enim annis superioribus, contra vtrumque Magistratum subditi
rebelles præualuerunt, ita iam Magistratum præualiturum contra
eosdem notat.

Ad locum effectus quod attinet, illi duplici via designantur,
aut per motum ipsius Cometæ, aut etiam per signum, quod corpo-
re transiuit.

Ad motum seu cursum Cometæ quod spectat, eius loca paulò
antè declarauimus, inter Occidentem & Septentrionem sita, velu-
ti Angliam, Belgium, Hollandiam, Moscouiam & Tartariam.

Ad signa, per quæ currit Cometa, quod attinet, loca ea affliget
potissimum, quæ Piscibus, Aquario, Capricorno & Sagittario sub-
iecta sunt. Testatur enim manifestissima experientia, occultam es-
se Sympathiam & Antipathiam signorum zodiaci cum his vel illis
locis ac partibus terræ, sicut à posteriore facile colligi potest. Sa-
pientissimi enim homines obseruatione accurata notarunt singu-
lares casus locorum, vtpote: irruptiones gentium, terrarum deua-
stationes, terræ motus, pestem, annonæ caritatem, tempestates in-
solitas ventorum, inundationes fluminum, & tales ac similes casus
collatos inter sese ad tetras Eclipses, præsertim solares, & omino-
sas superiorum Planetarum coniunctiones vel oppositiones retu-
lerunt, quod & in Cometis obseruandis illis vsitatum fuit, & signū
affectum eiusque oppositum, magnum cum eo tractu terræ con-
sensum, & mirabilem congruentiam habere deprehenderunt, ob-
seruauerunt, & memoriæ prodiderunt. Vt, dum nuper anno &c.
77. ab ara Antinoi à Capricorno vsque ad signum Piscium Cometa
ab Occidente in Orientem percurreret, motu & seditione populi
Belgium annis aliquot sequentibus miserabiliter afflictum est: vt
hinc colligi possit, Cometa in contrariam partem discurrete, iuxta
doctrinam Hali, vt paulò ante explicatum est, easdem partes contra-
rio modo per Magistratus legitimam potetiam, quod Cometa præ-
sens per eadem signa cœlestia, contrario tamen motu, discurrat, af-
fligendas atque inuadendas esse, idque non temerè, nec sine ratione
affirmamus, dum Cancro, vt paulò antè declaratum est, opposito
signo Capricorni, per quem Cometa præsens (similiter vt ille su-
perior) discurret, Astrologi Burgundiæ Comitatum, Hollandiam,
Zelandiam tribuant & assignent.

Quòd autem Cometæ, Eclipses, & Planetarum cōiunctiones,
ac cæteri aspectus, locum seu sedem, in quo reperiantur, eiusq; op-
positum

positum ac vtrumque quadratum inficiant, auctor est Ptolemæus, Cyprianus Leouitius, & omnes Astrologi. Verum ne affectibus aliquid tribuisse videamur, loca Sympathiam vel Antipathiam aliquam habentia cum Piscibus, Aquario, Capricorno & Sagittario, per quæ Cometa discurret hactenus, iuxta doctrinam Astrologorum, ex Ioannis Gerzæi Astrologia, fol. 285. desumi poterunt.

Quod autem iuxta Ephemerides, ingressus Solis in primum Arietis punctum, ad diem 10. Martij, anni 1580. horam 10. minutum 30. circiter contingat, ascendente vigesimo gradu Scorpionis, in imo cœli hærente, octauo circiter gradu Piscium, vbi Cometa primum ortus est, per reuolutionis figuræ domum tertiam, secundam, & primam transijt, vt hac ratione iuxta Albumazaris doctrinam, statum corporis, fortunæ pericula, ac inter fratres dissidia, seu turbas inter Ecclesiasticos minitetur. Coniunctionis verò Solis & Lunæ proximè præcedentis, vndecimam, decimam, nonam ac octauam domum percurrit, vt hinc lites, amicitiarum interurbationes, contra Magistratum supremum rebelliones, contra Ecclesiasticos impetus, latrocinia viarum, & peregrinationum difficultates, tandem etiam ob domum mortis, multorum interuenciones, & interitus designet.

Ad tempus verò effectus quod attinet, propter Signorum multitudinem, per quæ discurret Cometes, illud quasi annorum trium spacium assignari poterit. Laus Deo, & Beatæ Mariæ semper Virgini.

Saluo melius sentientium iudicio.

[ist vollenständig!]

